



## PRO O E M I V M.

**M**edicinae, quatenus ad gerendas res publicas symbolam suam confert, binae sunt partes; altera, quae sanitati publicae praest, praesidiorum ad sanitatem communium curam agens; altera, quae in iure dicendo curiis operam suam ponit. Illam *publicam* (*vulgo Medicinische Polizey*) hanc *forensem* dicere fas est; utriusque notionem confundere nefas. Neque certe vel una alterave reliquis medicinae partibus sive dignitate sive difficultate secunda. Quantumvis enim laudium sibi mereatur, qui individuorum valetudini invigilans et propriam sanitatem et ingenii vires et animi curas difficulti huic negotio impendit, haud minores tamen ille sibi comparare videtur, qui aut publicae sanitati praest, multorum hominum simul saluti intentus, aut, qui administranda iustitiae auxiliatricem operam collat. Et hic etiam iudicium summe saepe difficile esse, quis temere negaverit? Pone, invento neonati corpusculo, de infanticidio quaestionem moueri, quam Medico forensi resolvendam proponit Iudex. Cum in eo iudicio totus rei cardo versetur, an rea ultimo supplicio,



an poena minus gravi afficienda sit ; nonne omnes ei animi vires  
tendenda, vt rite cuncta ponderet, inspiciat, conferat antea, quam  
sententiam proponat ? Huc autem celebratam illam *Pulmonum Docimasi*  
am suam conferre symbolam, quis est, qui nesciat ? Laudatur ta-  
men egregium experimentum ab his, culpatur ab illis : neque negan-  
dum, suboriri nonnunquam casus, quorum prima specie magna sit  
vis in evertenda docimasiae pulmonalis auctoritate. Talis etiam ab  
optimo Praeceptore mihi amicisque meis publice praeterita hyeme re-  
latus est ; cumque me potissimum adhibuerit in explorandis veris to-  
tius eventus circumstantiis, occasionem inde arripere non dubitavi, ad  
honores Doctorales Specimine Inaugurali aditum mihi paratus, *de*  
*Docimasia Pulmonum* conscribere — — non plenam quidem tractatio-  
nem — sed ad eam saltem *animadversiones*, quarum illud potissimum  
argumentum sit, vt demonstrem, inconcussam stare docimasiae nostrae  
auctoritatem legitimis sub cautelis, nec dubiam eam reddi vel nostra,  
vel aliorum similibus observationibus. Vos, quibus artis medicae  
dignitas contra obrectatores vindicanda curae cordique est, favete  
conatibus meis !

### §. I.

Pulmonum docimasia, sive — — vt Graeca grecce exprimam —  
— *δοκιμασία* i. e. exploratio, Germanis *die Lungenprobe*, solenne est ex-  
perimentum, quo eoram iudice in thoracis neonati partes continentis  
atque contentas inquirit Medicus forensis, vt evidens fiat, an adsint  
conditiones sive vitae post partum actae sive iam ante eum extinctae.  
Praecipue vero in pulmones eorumque colorem, volumen expansum  
aut contractum, densitatem aut raritatem, gravitatemque specificam  
ad aquam attendunt tum Medicus tum Iudex, vt exinde quaestio mota  
resolvi possit. Inde experimenti, tanquam a potiori eius parte deno-  
minatio. Aquam experimentum requirit puram, saltem fontanam;  
vas amplum, profundum; Profectorem peritum; Medicum doctum,  
attentum.

### §. 2.